

Quam ob rem, sic loqui Gonzaga pergebat, neque ipsi oratores caesari neque quidam alii oratores principum voverunt ad hodiernam congregationem accedere, dicuntque, ipsos etiam nolle crastinae sessioni interesse. Quod si eveniret, quale scandalum, perturbationem atque incommodum allaturum esset rebus concilii, nemo est qui ignoret. Quare ipsi legati et praesidentes cogitaverunt, ut novo decreto res tota remittatur simpliciter summo pontifici, de cuius mente, quia aliqui dixerunt se dubitare, sciant patres, papam id non aegre laturum. Patres igitur omnia diligenter perpendere velint et ea deliberare, quae republicae christianae et praesenti rerum statui expedire iudicaverint.¹

Praeterquam quod haec in detrimentum plenae libertatis concilii multis dicta esse videbantur, offendeat simul festinatio adhibita, qua post propositionem sine mora in eadem adhuc congregatione suffragatio inchoari debebat; repugnantes tamen cardinalis Simonetta prudenti allocutione habita paulo emollivit, ita ut omnia ordine debito peragerentur.

Remissio simplex ad pontificem tandem 98 vocibus contra alias 38 approbata cernebatur.

Lainius non majori sed minori parti adhaesit. Liberis apertisque verbis professus est, decretum, quod alioquin acceptasset, ideo sibi non placere, quia per modum, quo obtinebatur, „aperitur ostium, ut hac via comminandi et se a nobis separandi extorqueant oratores multa contra fidem et bonos mores“ (n. 77 p. 72). Hanc sententiam in Consultatione recitat, adjunctis aliis observationibus de decreti formati et propositi circumstantiis, quae sibi displicissent.

Ventum deinde est ad sessionem solemnem altero die, 17. Septembris. In ea post approbata alia decreta de sacrosancto missae sacrificio, de observandis et evitandis in celebratione missae et de reformatione archiepiscopus

¹ Theiner Acta II, 128.

Hydruntinus „legit decretum super petitione caesarea concessionis calicis (praecedenti die acceptatum).

Cui pars major patrum iterum simpliciter adhaesit. Aliter autem sentientium suffragia ita Massarellius apud Theiner (II, 131) refert: „Bracharensi et aliis 30 patribus non placet. Philadelphensis: Si placet majori parti, mihi quoque placet. Asturicensi et aliis 6 patribus placet remissio, sed non per decretum.“ Episcopi Gerundensis, Bduensis, Dertusensis, Nicosiensis, Imolensis, Achadensis vario modo decreto repugnauerunt.

Lainii votum in istis actis hac forma perhibetur: „Praepositus generalis societatis Jesu dicit, quod per se res non placet, sed si majori parti patrum placuit, mihi placet, hac lege, ut scribatur ad ss. dominum nostrum, quod consulta synodus non est ausa dare consilium.“ Decretum igitur ipse etiam admisit.

Tam modus, quo Lainius nihilominus in sessione sollemni difficultates decreti patefecit, quam rationes, quibus per se ad dissentiendum movebatur, magis perspicue in Consultatione nostra produntur. Eas enim rationes, quas in sessione „vitandae prolixitatis et modestiae causa“ non dixerat, illic simpliciter et clare profert (n. 79 p. 73). Summa primae rationis est, quod modus proponendi hoc decretum vel potius „obtrudendi cum precibus armatis, cum minis et sine tempore deliberandi“ non videbatur ei „tela a Spiritu sancto ordita“. Ad quam rationem intimo nexu refertur altera, quam alias jam ab eo audivimus, fundata videlicet in timore, ne oratores illa via synodum quasi „excommunicandi“ adhuc alia nociva ab ea extorqueant (supra p. 36). Tertiam autem rationem in eo inveniebat, quod „haec remissio tacita quaedam approbatio est dispensationis.“

Ut ergo his rationibus exponendis supersederet et assensum praerberet decreto, solus in causa fuisse videtur amor pacis et concordiae, quo repletus monita s. Pauli apostoli sequebatur (Rom. 15, 5; II. Cor. 13, 11; Phil. 2, 2) reliquis sapientibus patribus sententiam propriam accomodans.

Ceterum ea omnia, quae de caesaris oratorum factis verbisque ex istis diebus resciantur, repugnantiam Lainii omnino probant. Non enim solum usque ad sessionem ipsam (in qua tandem apparuerunt) minus atque protestationibus egerunt, illectis in suam partem etiam oratoribus gallis sub spe falsarum reformationum a concilio exprimentarum, sed etiam rationes Lainii supra allatas disertis verbis in suis epistolis confirmarunt. — Id quod exemplo epistolae a Drascovio ad principem bavarum die post sessionem solemnem datae monstratur. Inter alia namque scribit: „Decretum illud super calicis concessione, tametsi nobis oratoribus non adeo placuerit, cum summa tamen difficultate hic obtentum, immo vero quasi per vim a patribus extortum fuit; continet enim tacitum consensum, ut pontifex maximus calicem petentibus eundem concedere possit. In summa multis cursitationibus, laboribus et sudoribus aliud obtinere non potuimus. Hispani fuerunt praecipui, qui nobis omnibus viribus obstiterunt. Deus illis ignoscat, quia nesciebant quid faciebant.“¹

At scivisse optime Lainium et reliquos adversarios calicis, „quid facerent“, luce clarius eventus totius negotii ostendit.

Nam Pius IV. pontifex, accepto decreto remissionis sibi factae revera precibus imperatoris et ducis Bavariae cedendum esse arbitrabatur. Die 16. Aprilis 1564 omnibus episcopis, pro quibus petita erat, facultatem concessit, ut communionem sub utraque specie iis ex laicis permittere valerent, qui cam peterent atque conditiones notas expresse appositae explere parati essent.

In Austria hoc indultum pontificum publice in ecclesiis promulgatum est; atque ut id etiam in ecclesia societatis Jesu Vindobonensi fieret, Lainius ipse, obedientiae sacrae memor, Lanojum tunc rectorem collegii in illa urbe erecti hortabatur. Initio quidem successus optatissimus sequi videbatur; verumtamen vel eodem adhuc anno exempla

¹ Sickel, Zur Geschichte des Concils von Trient, pag. 384.

multa conspiciantur majoris proterviae et fallaciae neotericorum austriaeorum, qui ope calicis securius fideles in suas partes trahebant et licentiam etiam praedicandi confessionem Augustanam praesumebant.

In Bavaria similiter male res cedebat; devotio populi catholici non augebatur sed minuebatur, paucis tantum novo ritui specie tenus addictis.

E plurimis testimoniis, quae afferri possent, pauca haec seligimus. B. Petrus Canisius primo anno post concilium Tridentinum absolutum per Bavariam inferiorem in locis regioni Ortenburgensi contiguas missiones, quas vocant, peregit; post sacras conciones vero ex 8000 incolis non minus 2281 numerabantur, qui communionem omnino sumere recusabant, sive sub una specie sive sub utraque; calicem autem praeter hostiam petiverunt 101 tantum, reliqui 340, qui communicaverunt, ritu solito unius speciei contenti fuere. Idem b. Canisius de fatiis communionis sub utraque specie in territorio Salzburgensi scribit, ex calice concessio rusticos arripuisse occasionem et praetextum, ut vi armorum turbas commoverent et concionatores postularent ad placitum ipsorum docentes; semper eos paratos esse ad parochum violenter tractandum, quo pro suo ipsorum lubitu concionetur.

Ubi catholici plures numero quam haeretici habitabant et quiete cultus religiosus exercebatur, de calice utendo non unus cogitabat. Sic sacerdotes et cives urbis Coloniae teste Lainio eum tanquam superfluum rejiciebant.

Generatim vero nimis, proh dolor, verum erat, quod idem Lainius jam in litteris die 10. Novembris 1564 ad cardinalem Hosium datis affirmat: Concessionem calicis religioni in Germania magis nocuisse quam profuisse; qui ab ecclesia jam divisi sint, inde lucrum suum quaerere et magis procaeces evadere, catholicos autem aut ipsos etiam majori indulgere libertati et insolentiae aut persecutionem acriorem perpeti propter fidelitatem erga sanctam ecclesiam.

Quod priores, nempe protestantes, atinet, ii qui verbo et scripto de calicis concessione loquebantur, nonnisi odio, contemptu, irrisione indultum Romanum cumulare sole-

bant. Fridericus Palatinus elector scripsit ad Joannem Guilelmum Saxoniae ducem, hanc concessionem esse opus diabolicum venenumque subtile, quo multi simplices perderentur; „putabunt, qui rem non intelligunt, se magnam fortunam cum calice adquisivisse, quum tamen utentes isto indulto in laqueum pessimum diaboli et apostoli ejus incidant.“¹ Concionator autem quidam ecclesiae lutherae sic fideles suos admonuit: „Quam magna est ira Dei, qui hoc faciendum permisit diabolo et apostolo ejus, ab eo ex inferno in mundum eructato! Calicem offerendo volunt christianos evangelicos perturbare et in abyssum gehennae pertrahere.“²

S. Pius papa quintus, qui quartum Pium sequebatur, aegre indultum datum tulit, illud vigere tamen certis ex rationibus sustinuit.

Tandem sub Gregorio XIII., qui post Pium V. anno 1572 pontifex electus est, experientia jam nimis constabat, calicis usum nemini prosedisse, plurimis autem nocere. Quocirca dictus pontifex factam concessionem revocavit.

Restat, ut hoc loco pauca quaedam significemus, quae ad editionem nostram Consultationis Lainianae pertinent.

De oratione diei 6. Septembris praeter summarium illud brevissimum, quod exhibet Calinus (v. supra pag. 33* not. 1), notum tantum erat excerptum Massarellianum in actis concilii Tridentini a Theiner editis.³ Pallavicinius solum aliqua argumenta ex ea oratione affert lib. XVIII. c. 4. n. 21. Le Plat, qui „Monumenta ad historiam concilii Tridentini spectantia“ edidit, etiam ipse eandem non novit, vel saltem non edidit, quum longas orationes adversariorum Lainii in extensum prelo subjecerit. Verum Sacchini in Historia societatis Jesu lib. VI. n. 83 ss. saltem exordium orationis ad verbum proponit. P. Boero e contra in vita Lainii italice conscripta (p. 262 s.) nihil novi ex

¹ Janssen, Geschichte des deutschen Volkes, Band IV, pag. 149.

² Ibid.

³ Acta II, 114 s. Cf. relationem Palaecotti paucis lineis comprehensam ibid. p. 583.

ea oratione profert, quamvis ipse manuscriptam Consultationem sibi praesto fuisse asserat.

Ex quibus omnibus apparet, operae pretium fuisse, ut tandem tota oratio de re tam acriter disputata hoc loco repraesentaretur, praesertim quum totius pagnae religionis illorum temporum quasi quaedam imaginem referat praecipuasque exhibeat normas, quas catholici in resistendo haereticis sequi debuerint. Ceterum, ut jam alibi monuimus (tom. I. pag. 23*), ante aliquos annos hanc eandem orationem cum reliquis partibus Consultationis publici juris fecimus in Actis theologicis Oenipontanis.

In ea prima editione comparanda duos codices manuscriptos adhibuimus, alterum bibliothecae aulicae Monachiensis sine nomine auctoris, signatum in catalogo Cod. lat. 11097, alterum ex archivo nostri ordinis a P. Boero nobis ministratum.

Prior codex, ab italico scriptore coaevo exaratus, mendis abundat et lacunis, etiam integrarum linearum, non caret; posterior multo majoris pretii est, quum ab ipsius Lainii manu emendatus fuerit; tamen, sicuti monachiensis per hunc alterum plerumque corrigi debebat, ita nonnunquam etiam posterioris textus optimas emendationes assecutus est ope codicis prioris. Codex Consultationis, qui praeterea Oeniponte in archivo gubernialium asservatur, generatim lectiones nostras confirmat. Madritanus codex ejusdem Consultationis (vide tom. I. p. 29*) inscriptionem habet: „El parecer y consulta, que hizo en el concilio de Trento repugnando al uso de el calice para los seglares.“ Textum nostrum in „Actis theologicis“ impressum hic iterum recudimus, sed revisum et variis in locis ad genuinitatem majorem revocatum.

Scriptio quidem Lainii latina valde culta non est; verumtamen non obstante hoc naevo, qui in aliis quoque lucubrationibus ejusdem advertitur, conjecturae locus est, eum totam Consultationem composuisse non solum ut sibi sed etiam aliis, hominibus fortasse summae auctoritatis, vel ipsi aulae pontificiae (cf. n. 80 p. 74) rationem redderet de suo modo sentiendi et suffragandi circa calicem laicorum.